

DE POLYPIIS
IN SPECIE CORDIS

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. GVILIELMO HEINRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
VVESTPHALIAE, ET CETERA
AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA SALANA

SVB PRAESIDIO
HERM. FRIDER. TEICHMEYERI

PHIL. ET MED. DOCT. ANATOMIAE, CHIRVURGIAE ET BOTANICES P. P. O.
SERENISSIMI DVCIS SAXO - ISENACENSIS CONSILIARII, ACAD.
SCIENT. BORVSS. SOC. ET H. T. DECANI

PATRONI ET PRAECEPTORIS SVI COLENDISSIMI

PRO LICENTIA

SVM MOS IN ARTE MEDICA HONORES
IVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
LEGITIME, MORE MAIORVM, CONSEQVENDI
PVBLICAE ET SOLENNI DISQVISIONI
SVBMITTIT AVCTOR

IOHANNES CHRISTIANVS DE VVINTERBACH
ROTENBVRGO FRANCVS.

AD DIEM OCT. M DCC XXIX.
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

IENAE, EX OFFICINA MVLLERIANA.

ms. spec. 987.

athol. spec.
387,72

VIRIS
ILLVSTRIBVS, GENEROSIS, MAGNIFICIS, MAXIME
STRENVIS, CONSVLTISSIMIS, PRAENOBILISSI-
MIS, AMPLISSIMIS, ET PRVDENTISSIMIS

DOMINIS, DOMINIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS
ET
CONSILIARIIS

IN
ILLVSTRI SACR. ROM. IMP. LIBERA CIVITATE
ROTENBVRGI, AD TVBARIM

SPLENDIDISSIMIS AC GRAVISSIMIS
DOMINIS AC PATRONIS SVIS GRATIOSISSIMIS

ET SVBMISSE COLENDIS

Dissertationem hanc Inauguralem ea, qua
par est, animi observantia

D. D. D.

IOHANNES CHRISTIANVS DE VVINTERBACH.



PROOEMIUM.



Deducta naturæ in universum omnia admiratione digna sunt. Longe maximam autem admirationem, attentionem & indagacionem merentur illa, quæ raro ab ea eduntur, in obscuro generantur, & oculorum nostrorum aciem subterfugiant. Inter eiusmodi producta non ultimum occupant locum polypi, in primis in corde nati.

Cor, illa stupenda machina hydraulica, perpetuis suis, atque a primis vitæ primordiis, & usque ad ultimum halitum perdurantibus motibus, nunc purpureum sanguinis liquorem in diastole recipit, nunc in altero momento per systolen expellit. Quo vero hoc arduum vitæ negotium absque omni impedimento, & vitæ dispendio peragatur, placuit Divino Numini cori certas a morbis concedere

immunitates. Loquuntur quidem TRINCAVELLVS, FERNELIVS, HOLLERIVS atque RIVERIVS, illustria rei medicæ sidera, in monumentis suis de vermibus, calculis, inflammationibus, suppurationibus atque ulceribus cordis, quæ an ita contigerint, nostrum non est decidere. Hoc saltem certum est, quod inter fatales, sæpiusque contingentes cordis afflictiones ab omnibus Medicis numerentur polypi.

Huius monströsi producti fabricam Celeberrimi Medici, BARTHOLETVS, TVLPIVS, BARTHOLINVS, PISSINVS atque MALPIGHIVS, tam perspicue & eleganter delinearunt, ut sane credidissent, neminem facile repertum iri, qui veri polypi cordis existentiam in dubium vocarit. Nihilominus de ea dubitavit celeberrimus KERKRINGIVS, & secus sentientes de crimine atque errore accusavit, statuens, neminem unquam vidisse verum polypum cordis atque vasorum, nec eos in viventibus extitisse, sed demum in articulo mortis, & post mortem formari ex sanguine, in vita fluido, post mortem autem refrigerato, coagulato, concreto, grumoso reddito, & in thrombum converso. Nos in tam nobili doctrina, speciminis inauguralis loco, vires nostras tentare in animum induximus. Si autem, B. L. forte fortuna cuncta a nobis acuta esse non observet, veniam nobis dabit, cum in arduis sat sit, quid voluisse. Ceterum Divinum Numen ardentissimis imploramus precibus, velit gratia sua cœptis nostris clementissime annuere.

§. I.

POLYPI nomen origine græcum est, & derivatur a πολὺς multus, & πῆξ pes. Πολύπῆξ, πωλύπῆξ, πάλυπος autem vocatur in genere omne animal, quod multis pedibus instructum est. Eiusmodi πολύποδα ζῶα sunt cucæ, aselli, millepedes, onisci, &c.

In

In specie autem polypi nomen gerit piscis, carnis lubricæ & mollis, octo pedibus instructus, qui, ne facile capiatur, ad saxum, cui adhæret, ingeniose colorem suum mutat. Huius piscis proprietates maiores nostri ad mores hominum applicuerunt, & versipellem atque astutum polypum vocarunt. GALENVS, & qui eum sequitur, PAVLVS AEGINETA, æquipararunt hunc piscem cum excrescentiis narium, illasque polypos vocant, quoniam earum caro mollis & lubrica colorem in dies mutat, & pedibus suis narium tubulis firmiter affigitur. Tandem hocce nomen omnibus concretionibus sanguinis, polypum narium æmulantibus, in corde & vasorum tubulis repertis, *ut plurimum ex elongatis atque multiplicibus pedibus constantibus, successive in corpore humano natis*, A BARTHOLETO impositum, & ab aliis retentum est. *Etenim polypus est concrementum quoddam praternaturale, fibrosa, membranosa & tenacis substantia, diversi coloris, variaque figura & magnitudinis, quod reperitur vel in naribus, vel visceribus, vel in vasorum sanguiferorum ductibus, vel in auriculis & thalamis cordis, organa hæcce obstruens, & motum fluidorum per ea impediens.*

§. II.

Polypus narium, secundum CELSVM *, est caruncula, modo alba, modo subrubra, quæ narium osibus inhæret, & modo ad labra tendens, nares implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increfcit, ut post uvam conspici possit, strangulatque hominem, maxime austro & auro flante, fereque mollis est, raro dura, eaque magis spiritum impedit, & nares dilatat, fereque *καρκινώδης* est, itaque non attingi debet illud. Polypus narium generatim in sarcoma & polypum proprie dictum distinguitur. Sarcoma narium turundæ formam refert, carnosioris substantiæ est, ex una basi excrefcit, & imis narium pinnis subnascitur. Polypus autem ad radicem nasi in superioribus ex variis furculis exporrigitur, & in varios ramulos divisus, vel extra nares pendet, vel ad fauces extenditur. Hæc est generalis divisio polypi narium. Alii contra tres, alii plane quin-

que recensent polypi species. Prima species est membrana mollis, tenuis, relaxatæ uvulæ similis, e media cartilagine pendula ex tunica glandulosa exporrecta, coelo ventoso increfcens, humore pituitoso & viscido referta, quæ e naribus expirando prominet, inspirando autem retracta latet. Hæc species quoque vocatur polypus spurius, mucosus & pituitosus. Secunda species caro est, ex fibris carneis extuberantibus, & extrorsum quasi fornicatis, conflata, indolens tamen. Tertia cartilago, sive tumor, consistentiæ duræ, ex lamellis quasi cartilaginosis atque flexilibus protuberans, cum tangitur, sonum edit, hincque pro scirrho indurato & indolente ab autoribus habetur. Quarta species caro subfusca, dolens, est mali moris, indeque cancri occulti genium possidet. Quintam speciem constituit polypus exulceratus, canerosus, carnis lividæ, in qua ulcuscula varia depascentia deprehenduntur. Cohærent polypi narium vel cum ipsa narium cartilagine, vel cum ossibus ethmoideis & spongoideis, spiraliter convolutis, vel cum tunica narium pituitaria, & oriuntur vel in scorbuticis, vel in illis, in quibus hæmorrhagiæ, coryza atque gravedo sæpius contingunt, qui reiteratis frictionibus, digitis institutis, tunicas narium internas lædunt. Quo facto ex vulneribus, ulceribusque, cum inflammationibus & obstructionibus coniunctis, sunt hyperfarcosæ in organo hoc, ex tam diversa substantia, & tot diversisque vasorum generibus composito. Dum enim in naribus sunt cartilagine, ossa, glandulæ, fibræ musculosæ nervosæ, vasaque sanguifera, mirum non est, quod tam diversæ polyporum species in illis generentur. Interim tamen polypi non tantum nares & fauces occupant, atque extra eius ines prominent, sed interdum latius diffunduntur, test. M. NGETTO **. Hic vidit polypum rebellioem per illud foramen narium laterale, quod subter os zygomaticum abit, radices suas ad oculi canthum minorem egisse, qui nec causticis, nec ferro, nec igne, millies applicatis, eradicatus est. Potus in dies nova capiebat incrementa, alteramque hydram, propriis vulneribus renatam,

tam,

tam, referebat, tandemque totam faciem defœdabat, ægrun-
que suffocabat.

* Lib. VI. de re medica, cap. VIII.

** In Notis ad Chirurgiam Barbettianam, pag. 469.

§. III.

Aliæ partes corporis humani ab excrescentiis polyposis
immunes plane haud sunt. BEVEROVICINVS * descripsit
polypum, ex cantho oculorum excrescentem. Offas carneas,
sanguinis efflorescentis striis in superficie insignitas, car-
nosis longitudinalibus fibris instructas, coloris subalbidi,
figuræ ut plurimum oblongæ, variarumque ramificationum,
tussi eiectas, annotavit TYSONIVS **, quas pro bronchiorum
polypo venditat. Uteri polypi, sive corpora, quæ ex pluribus te-
nacibus fibris constant, sæpius excluduntur, referata iterum
mensium suppressione, teste LANGIO ***, Lipsiensi, & RIVE-
RIVS **** carunculas carneas, cum mensibus excretas, in ste-
rilibus in primis, sæpius observavit. Notabilem vero excre-
scentiam polyposam membranoso-carnosam, ex interiori ori-
ficio pendentem, vidit celeberrimus RVYSCHIVS ****, & credi-
bile est, varias molarum species ad polypos referri posse.

* In Pathologia, Parte II. Cap. XXXIII.

** Apud Th. Bartholinum, in Act. Med. Hassniensibus, Lib. V.
Observ. XXX.

*** In Operibus, Parte III. pag. 206.

**** Centur. IV. Observ. XXI.

***** In Observationibus anatomicis atque chirurgicis, N. VI.

§. IV.

In intestinis, secundum Illustr. LANCISIUM *, triplici
modo generantur polypi. I.) in cachecticis, in quorum
intestinatorum interna superficie, ob vitia digestionis, mollis,
crassa, & quasi gelatinosa conglutinatur substantia, quæ per
alvum eiecta, polypi membranosi speciem refert. Simile quid
contingit in febricitantibus, feбри diuturna correptis. Huius
gene-

generis polypum album & longum LIPSIVS noster, in Hollandia, post gravem contumacemque morbum, per inferiora deiecit. Ideo magnus ille Medicus, & Professor Lugdunensis, HEVRNIUS, hoc videns, Lipsium ita allocutus est: *Respice trophaea de tuo morbo.* In iunioribus cachecticis subiectis, post absolutam lactationem, per alvam detrusos vidit LANCISIVS polypos, insignis longitudinis, coloris lactei, qui ex fibrosa parte lactis concreverunt in intestinis. 2.) LANCISIVS reperit polypos intestinorum mucilaginosos in dysentericis, natos ex accretione lymphæ intestini coli, eo tempore, cum convaliturus fuit æger. 3.) observati sunt a LANCISIO polypi intestinorum tenaces & mucilaginosi, sensim conglutinati in corporibus, male nutritis, sessilemque vitam ducentibus. Talem polypum, per alvum a fœmina Tusculana excretum, transmisit Lancisio Ioannes Dominicus BIANCIARDVS. Hic polypus in febris lenta, cum ingenti tussi, dolore pectoris & respirandi difficultate coniuncta, fuit deiectus, a Bianciardo autem pro verme habitus. Hanc substantiam sollicitè examinavit LANCISIVS, nec tubulos, nec viscera, nec spinam in ea invenit, ideoque non pro verme, sed pro polypo agnovit. Dominicus de MARI-NIS, a Lancisio citatus, Pisauri vidit polypum, excretum per urinam a Capucino quodam, quem casum, utpote rem monstruosam, in speciali Dissertatione MARINVS delineavit. Dn. PRAESES similem polypum, vermiformem, per urinam a puero eiectum, annotavit, oculisque usurpavit. Et sane, si secundum Chirurgorum sententiam, dantur, calculi mucosi, ** dubium non est, quin in ipsa cavitate vesicæ conglutinetur interdum in certis subiectis cacochymicis mucilaginosâ & gelatinosa substantia, in primis, quoniam ex glandulis Cowperianis, in interiori superficie vesicæ urinariæ sitis, constanter effluit mucilaginosâ materia, qua in statu naturali obducuntur superficies internæ organorum urinæ, ut immunes maneant ab ipsius urinæ salibus. ***

* In Operibus suis, Tom. II. Dissert. V. de triplici intestino-
rum polypo, *** vid.

** Vid. *Dionisii Operationes Chir. Demonst.* 3. de lithotomia.

*** Vid. D. GUILIELMI COWPER *Glandularum quarundam, nuper detectarum, ductuumque earum excretoriorum descriptio.* Londini 1702. & D. D. LAVRENTII TERRANEI *Tr. de glandulis, & speciatim urethræ virilis.* Lugduni Batav. 1729.

§. V.

De vasorum polypis passim apud autores reperiuntur observationes. Celeberrimus BIANCHI *, Taurinensis Professor, polypos gelatinosos & carneos in ramis venæ cavæ & portæ, per hepar dispersis, frequenter observavit in ictero, cachexia, longisque viscerum cacophragiis. Curiosissimus & eruditissimus PECHLINVS ** consolidata, & postea in ligamenta mutata vasa umbilicalia, reiteratis sectionibus, examinavit, & observavit, ipsum sanguinem, polypi instar, inibi successively conglutinari, qui exuta cum tempore rubedine, in reticulatas membranas commutetur, quæ tunicæ, lateribus vasorum applicatæ, sua substantia cavum illud oppleant. Nec dubitandum de huius theoriæ veritate, quia plurimis in partibus coagulum sanguinis obtingit, sine ulla puris, aut putredinis necessitate, v. g. in tumoribus tunicatis. Imo hoc factum vasorum quotidianum esse, atque in fœminis toto fere die contingere posse, confirmant strumæ, in illis frequentius contingentes. Quando vero vasa vaginæ & uteri capillaria ab eiusmodi polyposis ramentis obstruuntur, vel nulla, vel dolorosa admodum, & tarda contingit mensium evacuatio. Hæc sententia confirmatur observatione a PECHLINO, l. c. instituta in muliere quadam, quæ per multorum annorum decursum cephalæa atrocissima laborabat. In huius fœminæ sinu falcato superiori deprehendit post mortem polypum nigrum, substantiæ tenacis atque mucilaginosæ, dispersum per laterales venarum ramos, qui polypus extractus integer, corallii nigri fruticem proxime exprimebat. Similes polypos in sinibus duræ matris observarunt VOLCHERVS COI-
B TER

TER ***, BLECHNIUS ****, HARDEVS ***** , WEPFERVS *****
 & LANCISIUS ***** , aliique plures. Nos hic ulterius non re-
 censebimus omnes polypofas sanguinis concretiones, in va-
 forum sanguiferorum ductibus contingentes. Etenim hoc fa-
 tum contigiffe in iliadis, emulgentibus carotidibus atque ver-
 tebralibus, mille testantur Medicorum monumenta. Inter omnes
 polypos dignissimus est, quem describit celeb. TH. BARTHOLI-
 NVS *****. Hic enim occupavit dextram auriculam, dex-
 trumque thalamum cordis, atque per totius generis venofi
 systema ramulos suos disperfit, ita, ut hæc massa exsiccata
 pro systematis venofi schematismo inservire potuiffet. Cele-
 berrimus HARDEVS ***** similem fere deprehendit por-
 tentosum polypum cordis, qui latitudine sua totius thalami
 dextri cavum adæquavit, pedibusque suis multiplicibus fif-
 furis, aut sulcis cordis erat infixus, & simul ad arteriam pul-
 monalem protensus. Alium, dextræ auriculæ adnatum, &
 cuspidibus valvularum implicatum, dextrumque ventriculum
 fere totum replentem, descriptum legimus apud laudatum
 TH. BARTHOLINVM *****.

* In sua Historia hepatica, Tom. I. pag. 194.

** In *Observationibus Medico-Physicis* lib. 2. obs. 2.

*** In *Observationibus Anatom. Chir.* p. 110. Fœminam introduxit
 febrî acuta cum phrenitide extinctam, cuius in finibus daræ ma-
 tris polypos, in formam lumbrici conflatos ex alba pituita, repe-
 rit, similesque polypos quoque in cordis ventriculis invenit.

**** In *Zodiaco Medico Gallico*, anno 1680, mense Junio & Septembri.

***** in *Apiario*, Obs. 34. & 77. reperit polypos in menin-
 ge dura, & prope basin cerebri & cerebelli.

***** De Apoplexia, pag. 124. & 196.

***** In *Tractatu de Mortibus subitaneis*.

***** In *Actis Medic. Hafniensibus*, vol. V. obs. XXIX.

***** In *Ephem. N. C. Decad.* III. anni II. obs. XVIII.

***** In *Historia Anatomica*, Cent. III. No. XVII.

§. VI.

Locus, in quo communissime, frequentissime & primario polypi generantur, sunt sinus cerebri, cordis ventriculi atque auriculæ. Hic quæstio oritur, an priscis Medicis polyporum cordis existentia innotuerit? Respondemus affirmando. Etenim hoc non obscure ex eorum monumentis elucescit. RIVERIUS, l. c. citavit, occasione palpitationis cordis, GALENUM*, qui, in Historia de Antipatro, Medico, censuit, eum habere tuberculum crudum, & obstructions in levibus arteriis. Sane Galenus hic nihil aliud indicat, quam polypum cordis, arteriam obstruentem. VOLCHERUS COITERIUS observavit polypos: Magnus ille Anatomicus, ANDREAS VESALIUS**, in sinistro cordis ventriculo ingentem invenit polypum, duas libras pendentem, quem vocat carnem glandulosæ subnigricantis substantiæ. Cum hæc ita sint, credendum est, quod neque MARCVS AVRELIUS SEVERINUS***, neque FABRICIUS BARTHOLETUS primus fuerit polyporum observator. In cordis superficie interna reperiuntur columnæ carnea, lacerti, trabes & sulci, sunt quoque ibi tendines valvularum cordis. In sinibus cerebri quoque sunt lacerti & expansiones tendinosæ, sicuti hoc RIDLEY, LITTRIVS & PACCHIONIVS dudum demonstrarunt. Illustris MORGAGNI**** cum nostra consentit sententia. Inquit enim, polyporum primordia non alibi, quam in cordis ventriculis, & cerebri sinibus (hoc est, duræ matris) incipere, idque eo magis, quia, præter superficialium asperitatem, maior iis in locis est viæ amplitudo, atque ideo cursus sanguinis retardatio. Etenim fundamenti loco ponit, quod ibi detur maius spatium, pro sanguinis motus retardatione, ibi etiam facilior sit polypi generatio. Disputat hic contra celeberrimum Mangetum, occasione polypi, in sacculo expanso arteriæ magnæ, sive in anevrysmate geniti. Mangetus nescit, quid sit statuendum. Neque enim decidere vult, num polypus sit *causa* huius dilatationis, num vero *productum*? Morgagnius postremum defendit. Nempe statuit, fieri con-

cretionem flexilium & gelatinosarum crassiorum sanguinis partium in illo loco, ubi sanguis non satis valide moveatur. Hanc suam sententiam satis luculenter ibi defendit, & ulterius probat observatione, in muliere quadam instituta, in cuius corde quidem, & sinibus cerebri nihil polyposi invenit, in anevrysmate vero, non adeo magno, arteriæ subclaviæ adhærentem oblongum polypum vidit. Rationem addit huius phænomeni, & generationem polypi simul explicat, quando dicit: In arteriæ expansionibus non modo via est dilatata, sed & superficiem interioris asperitas & inæqualitas simul existit****. Ergo duæ adsunt causæ, ad polypum disponentes, quarum una est sanguinis motus retardatus, altera superficialium asperitas, cum qua fibrillulæ sanguinis facile cohærere possunt. Hasce binas causas etiam admittit LOWERVS ***** , ita loquens: Si cordis systole, qua liquor sanguinis conquassatur, paululum diutius elanguescit, succus hic grumescere, gelatinæ in modum incrassari, tandemque intra fibras cordis, hinc inde pendentes, implicari, & ipsis ventriculorum parietibus accrescere incipit. Moles autem huius massæ sæpe numero adeo augetur, ut utramque cordis cavitatem fere expleat.

* Quarto locorum affect. Cap. 8.

** Lib. I. de corporis humani fabrica, Cap. 5.

*** Lib. de recondita abscessuum natura, p. 281.

**** In *Adversariis Anatom.* N. II. Animadversione 40. p. 80.

***** DIONISIUS in anevrysmatibus semper invenit sanguinem coagulatum, & fibras, uno verbo, polyposam substantiam, quam post apertionem auferre iubet. *Demonstrat. Chirurg.* 8. cap. de anevrysmate.

***** In *Tractatu de Corde*, Cap. II. de Cordis motu, pag. 135.

§. VII.

Concresecunt polypi in utroque thalamo cordis, longe vero frequentior eorum generatio est in ventriculo dextro

tro, quam sinistro. Ratio hæc esse videtur, quoniam minor est vis motus sanguinis in hoc ventriculo, maior vero in sinistro. Porro ventriculus dexter chylum affluum recentem, & ad coagulationem pronum, e ductu thoracico recepit, & porro sanguis, qui per venam cavam ad ventriculum cordis dextrum refluit, tardiori motu fertur, crassus est, & particulis lymphaticis, aliisque subtilioribus orbatus. Hinc huius crassioris sanguinis fibrillulæ in anfractibus auriculæ dextræ & ventriculi dextri facile relinquuntur, & prima polyporum rudimenta ita constituunt. Hæc observatio docet, quod sanguinis motus, per ramos venæ cavæ retardatus, sit causa crassitiei sanguinis, a partibus fluentis. Et porro, quod sanguis hic crassus, ad ventriculum dextrum delatus, moveatur ideo per arteriam pulmonalem ad pulmones, ut ibi per motus organorum respirationis conquassetur, & ita resolutus, a polyposis concretionibus liberetur.

§. VIII.

Substantiam, consistentiam & structuram polyporum quod attinet, illam invenies apud autores diversimode delineatam. Sunt, qui adipem referunt; alii compagem membranæ & tendineam possident; alii carnis assumunt consistentiam & colorem; aliis sanguinis congrumati color & textura perfecte inest. Distingui ideo commode possunt in polypos carnosos, tendinosos, sebaceos, chylofos, mucosos, atque ex variis tunicis ac fibrillis, nervosum quasi genus repræsentantibus, compositos. *Carnosos* quod attinet, describuntur, quod sint densæ & carnosæ substantiæ, qualem describit HARDERVS *. Si vero tales exstiterint, revera nil aliud sunt, quam hyperfarcosæ, carunculæ & excrecentiæ, in cordis columnis natæ. Hic quæstio est, an in tali polypo dentur vasa sanguifera? LOWERVS, l. c. scribit, se in eiusmodi concretionibus polyposis, in carnem mutatis, plurimas vidisse venulas, & ISBRANDVS DIEMERBROECLIVS, illustris quondam Professor in Academia Ultraiectina, asserit **, se secasse virum,

B 3 tri-

triginta sex annorum, qui in vita diu multis anxietatibus atque longo asthma detentus, tandemque in nosocomio Ultraiectino extinctus. In huius cadaveris dextro cordis ventriculo invenit corpus quoddam insolitum, album & firmum, quod nulla digitorum frictione frangebatur. longitudinis parvæ spithamæ, crassitiei fere minimi digiti, membrana peculiari involutum, inter quam & ipsum corpus duo vasa, sanguine turgida, a summo ad imum deferebantur. Simile quid testatur celeb. MANGETVS, in *Theatro Anat.* Illustris MORGAGNIUS, *** huius Theatri acerrimus censor, optat, ut istud vas sanguineum, quod Mangetus in medio per totam longitudinem cuiusdam polypi visum a se memorat, diligentius descripsisset. Hocce votum sane referri debet ad Loweri & Dimerbræckii polypos. Fortassis enim modo fuit sanguis, in striis coagulatus. Neque enim Malpighius, neque Morgagni, qui plurimos polypos inspexerunt, unquam vera vasa sanguifera in iis observarunt. Si itaque vasa extiterint in polypo cordis carnosio, eiusmodi polypus fane fuit hyperfarcosus, excrecens ex columnis carneis cordis, & vasa, quæ ibi sunt reperta, nihil aliud fuerunt, quam vasa coronaria cordis continuata, & dilatatione quadam ulterius extensa. Quale quid observamus in ipsis verrucis partium corporis humani. Neutiquam tamen talis cordis caruncula cum vero polypo est confundenda. In vero polypo nunquam vasa sanguifera, sed modo grumi & stigmata sanguinis coagulati reperiuntur, quia vasorum in polypis neque est necessitas, neque utilitas. Et polypi tales haut secus ac tartarus dentium, calculi renum, vesicæ felleæ & urinariæ, imo tophi articularum, successive ex humore circumfluo, fibrillisque sanguinis capiunt incrementa. Hoc confirmant fibrositates atque membranulæ, grumis interpositæ, quibus polypi consistunt. Insuper sane non sine ratione dubitarunt celeberrimi Medici, num detur polypus cordis atque vasorum in corporibus viventibus. Etenim magnorum cordis polyporum **** præsentia & existentia in
vita

vita vel plane impossibilis, vel valde dubia esse videtur, ex hac ratione, quoniam alias motus cordis & circulatio sanguinis persistere haut posset. Sunt quidem presentiae polyporum exiguorum in ægrotantibus haud obscura indicia, qualia sunt respiratio difficilis, anxietas præcordiorum, dispositio ad lipothymias, & palpitationis cordis, quæ omnia indicant, aliquid adesse, quod circulo sanguinis obicem ponit, sed est modo exiguum corpus. Multo minus tantam palpitationis cordis vehementiam admittere possumus, qua ossa costarum dislocentur & confringantur. Qualem refert ex FERNELIO ***** SCHENCKELIUS ***** quibus nos credulos præbere, merito vera & sobria Medicorum religio prohibet.

* In E. N. C. Ao. 2. Decad. 3. obs. 18.

** In Anatomia Corp. Hum. Lib. II. Cap. IX.

*** In Adversar. Anat. N. V. Animadvers. XXVII. p. 40.

**** Dimerbroeckius, l. c. Vesalii polypum carnosum, libras duas ponderantem, quidem citavit, sed non sine ratione addit, quod contigerit error typographicus, & pro libra scribi debuerit uncia, quoniam existentiam tanti polypii, ut rem impossibilem, in dubium vocat.

***** Lib. 5. Pathol. Cap. XII.

***** Lib. II. Observat. V. p. 277.

§. IX.

Polypii cartilaginei, vel potius tendinosi, rarum exemplum refert ALEXANDER KNIPSMACOPE*. Hic polypus fuit magnitudinis ovi anserini, in basi cartilagineus, ponderis quatuor unciarum, figuram referebat fructus cardui cinaræ, vulgo *Artischocken*, constabat ex lamellis, quarum cortices exteriores erant solidiores, interiores vero molliores. An exstiterint *polypii lapidei*, etiam quaestio est? De eiusmodi polypo cordis lapideo, Parisiis in cadavere reperto, legitur observatio in E. N. C. ** & SCHENCKIUS *** de calculis cordis integrum habet titulum. HOLLERIVS **** refert historiam de muliere, quarto mense morbi extin-

cta,

Eta, & dissecta, in cuius corde suppurato duo calculi sunt
 reperti. IULPIVS **** & WIERSVS ***** calculos in corde
 invenerunt. De *polypo pingui & oleoso* DIEMERBROECKIVS,
 „ l. c. ita loquitur: „ In ventriculis cordis interdum varia
 „ præter naturam generantur, sanitatis haud parva impedi-
 „ menta, quæ tamen in ægrotantibus vix sciri, aut cognosci
 „ queunt. *Frustula adiposa*, ac quasi carunculas molles & al-
 „ bicantes, magnitudinis circiter semiovi, interdum maioris,
 „ non semel in iis invenimus, & spectatoribus demonstravimus,
 „ scilicet in morbo sublati cadaveribus. Inter alia mense
 „ Octobri, 1665. secumimus, & demonstravimus cadaver iuvenu-
 „ læ, circiter viginti trium annorum, quæ vivens diu conquesta
 „ fuerat de summa cordis anxietate, palpitatione ac lipothy-
 „ miis, cum quibus tandem extincta fuerat. „ In cadavere eti-
 „ am tale frustum adiposum, dextrum ventriculum fere re-
 „ plens, & aliud parvum in sinistro invenit, atque diligentiore
 „ examine instituto, animadvertit, illud non fuisse corpus
 „ aliquod, ex sanguinis coagulatione genitum, sed revera *cor-*
 „ *pus adiposum* ac firmum, quod digitorum frictione non dis-
 „ solveretur. Simile adiposum corpus, satis firmum, vidit in alia
 „ iuvenula, eiusdem ætatis, ao. 1668. De *chyloso* polypo legen-
 „ dus est LOWERVS ***** , cuius verba sunt sequentia: Sæ-
 „ pe in scorbuticis, cachecticis & tabidis, quorum pulsus de-
 „ bilis & intermittens est, observavi ventriculos cordis, & vasa
 „ sanguifera, *chylo coagulato infarcta*, & fere repleta, adeo, ut
 „ mirandum fuerit, quomodo cor ullo modo constringi,
 „ aut reliquum sanguinem adhuc fluidum, ad vitam & calo-
 „ rem in partibus conservandum, propellere potuerit. Et pau-
 „ lo post refert de subiecto, paulo ante obitum lipothymix
 „ frequenter obnoxio, in cuius dextro cordis ventriculo repere-
 „ rit polypum carnosum, ostium huius ventriculi ita obturan-
 „ tem, ut modo, pro transitu sanguinis, foramen pennæ anse-
 „ rinæ magnitudinis relictum sit. *Pituitosum, vel mucosum* po-
 „ lypum cordis describunt IULPIVS ***** & PEYERS ***** .

Simile:

Similes polypos mucilaginosos & gelatinosos in meningis duplicatura & finibus cerebri reppererunt HARDERVS *****
& PECHLINVS *****.

* In Epistola peculiari de *Aorta polypo.*

** Anno V, Dec. II. obs. 83.

*** In Observationibus Lib. II. pag. 172.

**** Commentar. in Hipp. Aphorif. Lib. IV. Aphorif. 75.

***** Lib. II. Observat. No. 25.

***** Lib. IV. de Præstigiis dæmon. Cap. XVI.

***** L. c. pag. 135.

***** In Observ. Lib. I. Cap. XXVII.

***** In Parergis Anatomicis, Lib. III. Cap. VI.

***** In Apiario, Observat. 77.

***** In Observationibus, Lib. II. Observat. 2.

§. X.

An eiusmodi permagni & solidioris substantiæ polypi ita revera extiterint, non disputabimus, sed in ancipiti relinquimus, cum de his sub iudice lis sit. Polypi cordis consueti structura repræsentat fibrosam & membranofam substantiam, vel congeriem superimpositarum, extensarum & conglomeratarum pellicularum, quæ substantia, secundum Malpighium, nervosum corpus, cum aliqua mucositate coniunctum, efformat. Si vero talis polypus elutriatur, atque a sanguine mundificatur, denique dilaceratur, resolvitur in pelliculas, filamenta oblonga, fibrarumque fasciculos. Ita, secundum omnes, comparatus est verus polypus, distinctus a concretionem quadam mucosa & grumosa sanguinis, in qua nullus ordo pellicularum, nulla strata lamellarum observantur.

§. XI.

Figura polyporum non semper eadem esse potest, quoniam casu generantur, & cum eorum generatio fortuita sit, eorum figura, magnitudo & soliditas differre debet in singulis subiectis. Ut plurimum tamen ex multiplicibus & oblongatis pedibus

C

dibus

dibus componuntur, quorum una extremitas vel cum columnis carneis, trabibus, aut lacertis carnofis auricularum & ventriculorum cordis, vel cum tendinibus valvularum tricuspidalium & mitralium cohaeret, altera extremitas autem ad vasa, ventriculis cordis adiacentia, exporrigitur. In dextro ventriculo polypi ut plurimum maiores sunt, quam in sinistro, quod MALPIGHIVS multoties observavit, & BARTHOLETVS in dextra auricula item accidisse recitat. Sic & color polyporum, secundum Malpighium, non raro diversus observatur. Nam ut plurimum polypi, in dextro cordis thalamo excitati, color subalbidus est, lardi instar, seu exsiccati succi, quem vulgo pituitam appellant, & interdum rubra quaedam, vel subnigra stigmata conspersa habet; In sinistro autem genitus, colorem ut plurimum atrum, & densiorem obtinet substantiam. Idem MALPIGHIVS * structuram polyporum ita describit: Interdum, inquit, placentulae instar ventriculorum medietatem occupat, & elongatis ramosis productionibus per venas & arterias hinc inde excurrenti sanguini spatium praebet, interdum ita inter cordis columnas, & carnosos lacertos haeret, & quasi radicibus implantatur, ut alterum ventriculum, intra claustra efformatum dicas. Denique numerus polyporum variat. Nam interdum unus, interdum duo, vel tres sunt observati, qui cum auricularum & ventriculorum lacertis carnofis, raro cum vasorum lateribus fuerunt connexi atque coniuncti.

* In Dissertatione de Polypis.

§. XII.

Materiam, ex qua generantur polypi, constituit ipse sanguis, collectiue sumtus, siue, quod idem est, massa sanguinea. Est nobis sanguis liquidum illud purpureum, quod a corde per arterias pellitur ad partes, & per venas redit ad auriculas. Hoc liquidum, per microscopia examinatum, continet globulos obscuros, lympham pellucidam & lanuginem, siue fibrillulas exiguas, quod a nonnullis vocatur crassamentum.

tum. Hanc lanuginem unice admittit Malpighius pro causa materiali polypi. Qui vero præparare vult, & seorsim a sanguine separare hanc lanuginem, ita procedere debet. Nempe immitte sanguinem, ex vena secta proficientem, in aquam tepidam, agita mixturam lignea spatula, & aqua purpuram sanguinis recipit, lanugo vero fundum petit. Hoc facto decanta supernatantem aquam tinctam, aliamque recentem tepidam adde, iterumque agita mixturam. Sic lanugo mundificatur a rubedine, & seorsim impetratur. Ex hac lanugine facili negotio parari possunt tunicae. * Hæ fibrillulæ lanuginosæ subtilissimæ, ob exiguitatem, si seorsim fluunt, per vasa minima durante sanitate penetrare possunt, quando autem numerus harum fibrillarum ultra modum augetur, ita, ut duae, vel plures inter se complicantur, generantur rudimenta polyporum, vel contingunt viscerum & glandularum obstructions. Si tibi, B. L. hæc sanguinis anatomia non arridet, aliam dabimus, ex qua simul polyporum, a diversis autoribus delineatorum, generationem simili modo ostendere possumus. Est vero tractatio sanguinis in igne. Sanguis per ignem examinatus, dat partes aqueas, gelatinosas, oleosas, salinas volatiles copiosas, paucas vero fixas, exiguam terræ portionem, & præter hæc recensita principia dantur quædam partes in sanguine, quæ eius spumescientiam efficiunt. Hæ partes sunt aeræ, a quibus dependet spumescientia sanguinis in vacuo sub campana antliæ, item & spumescientia sanguinis in igne. Hæ partes aeræ, sive bullulæ, aliis partibus sanguinis, in specie fibrillulis, interpositæ, earum concretionibus resistunt. Quoniam vero minor portio particularum aerearum est in sanguine venæ cavæ, unum non est, si frequentior contingat polyporum generatio in ventriculo dextro, quam sinistro. Si sanguis, per venam eductus, in vasculo quodam quiescit, sponte separatur in binâ principia, nempe in cruorem, sive grumescientiam purpuream, inter se coherentem, & in lympham, plerumque pellu-

pellucidam. Si lymphæ hæc a cruore separatur, & per ignis mitiorem gradum evaporatur, mutatur in gelatinam, & tandem in corpus solidum tenacissimum. Hæc observatio probat, quod non tantum purpura, sed & lymphæ ipsa in se habeat principia coagulabilia. Hæc lymphæ ideo polyporum gelatinosorum constituit materiam. Ex lanugine conglomerata generantur polypi tunicati, terra illis concedente maiorem soliditatem. Ex oleo chyli & sanguinis generantur polypi sebacei. Ex chylo, nondum in sanguinem mutato, sed vix coagulato, producuntur polypi chylofi, quales LOWE-RVS observavit. Non possumus silentio præterire id, quod annotavit Dn. Præses in fœmina arthritica. Huius sanguis per venam eductus, atque in vasculo quiescens, contraxit in superficie cuticulam, satis solidam, lactei coloris. Sane hæc pellicula nihil aliud erat, quam crudus chylus, non sufficienter subactus & resolutus. Nec errabimus, si statuimus, chylum crudum, qui per glandulas mucilaginosas Haverianas permeare non potest, constituere primam causam materialem arthriticorum. Sanguis ideo exoptatissimus modo abundans dum vasa nimium replet, & non satis valide motu intrinseco & progressivo movetur, disponit ad obstructions, varices & anevrysmata, imo quoque ad polyporum generationem ansam præbet, quia eo in motu imminente, particulae lanuginosæ facile inter se complicantur, cum columnis carneis cordis coniunguntur, & a novarum fibrillarum additione successive augmentantur. Hoc sane dudum agnovit Hippocrates, ** qui plenioris corporis habitum, ad ~~firmum~~ plenitudinis gradum perductum, lubricum, suspectum & periculosum vocat. Si frequens est palpitatio cordis istis, qui plethora laborant, frequens quoque istis est polyporum generatio. Sanguis enim ultra modum ventriculos & auriculas replet, & ex toto vix in systole eiicitur, hincque residuus coagulari, & cum columnis carneis coherere incipit.

* Vid.

* Vid. Differt. sub Præsidio Dn. Præsidis nuperrime habitam de Morbis hyemis præteritæ, §. XII. ubi etiam commendantur autores, illis nempe, qui fibrillulas sanguinis & lanuginem in dubium vocant.

** Lib. I. aphorif. N. 3.

§. XIII.

Subiectum polyporum uniuersale totum corpus humanum est, cum in omnibus partibus mollioribus, & in primis visceribus, polyposæ contingere possint concretiones, particulare atque præcipuum vero est cor, atque sinus duræ matris, sicuti hoc ex antecedentibus clarum est. Non autem tantum in corpore humano observati sunt polypi, sed & in brutorum cadaveribus, morbo defunctis. Anatomicus Viennensis, D.D. WOLFSTRIGELIUS * observavit polypum sebaceo-tendinosum in leone. Hæc observatio docet, quod polyporum generatio, quæ mere fortuita est, non dependeat ab anima rationali, quæ nunquam absurda in corpore construit, vel talia, quibus vitæ interitus acceleratur & promovetur.

* In E. N. C. Ao. 2. observat. 6.

§. XIV.

Causæ omnes, ad polypum disponentes, ita sunt comparatæ, ut ab illis lentor sanguinis, viscositatum & fibrillarum connexio promoveatur. Huc pertinet temperamentum melancholicum, quod Pisinius accusat, qui a sanguine melancholico polyporum originem deducit. Ast ipsa temperamenta sanguinea, & in primis plethorica, a polyposis concretionibus immunia haud sunt, quoniam in iis, ob vasorum repletionem, motumque sanguinis impeditum, fibrillarum sanguinis a se invicem separatio vix conservari potest, coniunctis vero fibrillis inter se atque complicatis, polyporum nascuntur prima initia, quæ in omnibus ætibus contingere possunt. Est quidem ætas senilis, ob sanguinis crassitiem, item & virilis, in primis cum plethora atque

obesitate coniuncta, prona ad polypos: Interim tamen non deficiunt observationes, quæ existentiam polypi in ipsis infantibus confirmant. Celeberrimus ALBINVS * exemplum habet de puerulo, alias bene valente, cuius interim tamen pallidus faciei color, abdominis tumor, palpitatio cordis, & respiratio difficilis non satis tutam indicabant valetudinem. Hic subito incidebat in anxietates, sudorem frigidum, respirationem difficillimam, facies ex improvise insimul atro rubore perfundebatur, cessabat vox, cessabant sensus, & convulsus ex improvise mortuus est. Aperto cadavere in dextra cordis auricula observata est concretio polyposa, quæ causa erat mortis subitanæ. Simile exemplum reperitur apud BONETVM. ** Quis itaque non videt, quod infantum subitanea mors, & ita dicti catarrhi suffocativi dependeant plerumque ex polyposis inopinatis concretionibus, quorum generationes interdum intra breve temporis spatium absolvi possunt. Quid de sexu sit dicendum, ex antea dictis apparet, ubi sexum fœmininum præ masculino magis dispositum pronunciavimus. Vitæ genus autem quid conferat, sequentia illustrabunt.

* In Dissertatione de Polypis, Thes. XI.

** In Sepulchreto anatomico, Lib. II. Sect. 8. & 9.

§. XV.

Ex causis nonnaturalibus huc merito referri debet
 1.) plena & gulosa diæta, consistens in esculentis polytrophis & gelatinosis, quæ alimenta dum copiosum chylum suppeditant, plethoram & obesitatem non tantum inducunt, sed & oleositates, ac fibrillarum numerum in sanguine cumulant. Non errabimus, si statuimus, quod & potulenta, in specie oleosa & pinguis, ut cerevisia crassa, ac vina acida, valde spirituosas, imo ipse spiritus vini, simul sint accusanda. Si limpida lymphæ, vel sero sanguinis, affunditur vini spiritus rectificatissimus, intra breve temporis spatium illud lactescit, & in membranulas solidescit, & hæc est arti-
 tifi.

tificialis polyporum productio certa, ex lymphâ sanguinis pellucida elaborata. In vino est acidum, quod & aceti præparatio confirmat. Si acida cum chylo, vel lacte coniunguntur, fiunt præcipitationes, & caseosa nascitur substantia, quæ in tenacissimum interdum commutatur corpus, quod ii videbunt, qui cum succo citri lactis coagulationem suscipiunt. Et sane valde probabile est, ipsam lanuginositatem sanguinis lacteam originem trahere ab ipso chylo. Vidit Dn. Præses Lipsiæ in cadavere furis spontaneam chyli in ductibus lactiferis coagulationem. Omnis enim chylus in ductibus chyliferis erat tantæ spissitudinis, ac si esset cremor lactis.

2.) Aeris status frigidus dum sanguinem coagulat, elasticas & igneas particulas extinguit, vasa corporis subcutanea comprimit, massamque sanguineam centrum versus pellit, ad polyposas concreciones ansam præbere potest. Quo pertinet

3.) Quies, & motus corporis denegatio. Per motum musculorum exoptata sanguinis fluiditas conservatur, dum sanguis in commotionibus musculorum conquassatur, resolvitur, & per triturationem in minima ramenta dividitur. In vita sedentaria contra, ob motus musculorum defectum, oriuntur facile sanguinis coagulationes & obstructions, dum partes sanguineæ glutinosæ, oleosæ, terreæ, & in primis fibrillares sponte uniuntur & complicantur. Incidunt eiusmodi subiecta per vitam sedentariam in cacochymiam, sibi contrahunt malum hypochondriacum, acquirunt sibi dispositionem melancholicam. Melancholicorum vero sanguis, consentientibus omnibus Medicis, valde crassus, spissus, terrestris, viscosus, & minus elasticus est, adeoque ad polyposas concreciones dispositus. Talis sanguis crassus dum per vasa cordis & præcordiorum minima libere non movetur, excitat anxietates, cordisque palpitationes, qualia signa concurrunt in illis, qui polypo laborant. Vita sedentaria, coniuncta cum studiis, & litterariis laboribus, imminuit quoque spiritus in sanguine & nervis, corpusque enormiter debilitat, quibus

quibus

quibus positus sanguis reliquus promptissime coagulatur. Novimus exemplum viri eruditi, & studiis dediti, qui in specie in locis frigidis hyberno tempore litteris incubuit. Ille incidebat in cachexiam, palpitationibus cordis concomitatam, tandem mortuus est syncope. In huius aperto cadavere tres sunt reperti cordis polypi. 4.) Terror, ille affectus, in quo facies pallet, oculi stupent, vox interrumpitur, pulsus supprimitur, extrema frigent, sensusque cessant, in momento adeo sanguinem coagulat, eiusque grumescentiam procreat, ut ab ea subitanea mors promoveatur. Vid. B. WEDELLIVM *. RIVERIVS, l. c. refert notabilem historiam de Consiliario Regis Gallia, ad quem vocatus, observavit in eo inaequalem pulsum, cum spirandi difficultate. Interdum pulsus nullus apparebat in carpo, admota tamen manu supra cordis regionem palpitatione sentiebatur frequentissima, debilissima & inaequalissima. In fine morbi aucta est spirandi difficultas, cum sanguinis sputo, & ita diem obiit supremum. Aperto cadavere inventus fuit ventriculus uterque sanguine concreto repletus, & pulmones sanguine multo distenti erant. Huius mali causa procatartica erat terror insignis, quo ille graviter adfectus fuerat, dum Arelato Monspelim petens, supra Rhodanum, cum familia sua, in naufragii periculo versatus est. MALPIGHIVS bis polypos invenit insignes in illis illorum praecordiis, quos improvisus concusserat terror. Terror omnes convellit nervos, vasaque in primis in superficie corporis coarctat. Ergo sanguis reprimitur cor versus, ibique in motu retardatur. QVIDIVS de terrore canens, hunc affectum eleganter describit, quando inquit:

Extimui, sensusque metu riguisse capillos,
Et gelidum subito frigore pectus erat.

Denique 5.) huc pertinent denegatae sanguinis excretiones, mensium, lochiorum & haemorrhoidum. BARTITSCHIVS ** saepius annotavit amavrosin post partum, quod malum autem plerumque ultra octiduum non durat. Oritur hoc partim
a co-

a conatibus in partu vehementioribus, partim a lochiorum suppressione. In hoc affectu fit polypiosis in productionibus arteriarum carotidum, ad oculum tendentium, sive, quod idem est, in fontibus HOVII. Dum vero hæc vasa sanguifera cingunt nervum opticum, ille a stagnante & polyposo sanguine in his arteriis comprimitur. Huius generis cæcitatem, octavo & duodecimo die iterum cessantem, bis observavit Dn. PRAESES, & unam, ad quatuordecim dierum spatium perdurantem, in Studiofo quodam & helluone. Ille enim comederat ostrias, vinumque gallicum Pontac largiter epotaverat, quo ebrius redditus, incidebat in vomitum, cum vehementissimis conatibus & convulsionibus coniunctum, in quibus sensus visus in momento extinguebatur. Quemadmodum vero conatus parturientium polypiosin præstant in arteriis HOVIANIS: Ita simile quid factum esse in hoc subiecto, credibile est. De polypo cordis, ex neglectis hæmorrhoidibus, sub schemate asthmatis convulsivi, cum palpitatione cordis enormi, vide casum Dn. D. GOHLII, Berolinensis. ***

* In Dissertatione de Terrore, Cap. II.

** Im *Augen-Dienst*.

*** Exstantem in Dn. Doct. VALENTINI, Praxi medica infallibili, cum responsionibus Facultatum medicarum, pag. 196.

§. XVI.

Ex causis præternaturalibus varii dantur morbi, quibus origines polyporum tribui possunt. Quo pertinent morbi pectoris, liberant respirationem, & ita motum sanguinis per pulmones, impediunt & retardantes. Nam si sanguinis motus per pulmones est aggravatus, ventriculi cordis, & in specie dexter, perfecte contrahi non potest in systole, & dum non omnis sanguis ex ventriculis expellitur, remanet quoddam sanguinis residuum, polyporum materiam constituens. Huc pertinent pleuritis & peripneumonia*. In peripneumonia inflammatio præsto est pulmonum substantiæ, orta

D

a stasi

a stasi sanguinis. Ergo sanguis, qui per pulmones libere non distribuitur, in ventriculo dextro cumulatur, & facile in concrementum polyposum convertitur. Simile quid contingere necesse est in scirrhis & vomicis pulmonum, in varicibus & aneurismatibus vasorum pulmonalium, in calculis & callositatibus asperæ arteriæ. Nec minus illi polypum facile in corde gignunt, quorum pulmones cum pleura coherent, & ita asthmate constanti laborant. Etenim dum in his, imo etiam in gibbosis, pulmones neque libere expanduntur, neque convenienti modo in eiusmodi subiectis contrahuntur, deficit legitima respiratio, & eius usus, qui in conquassatione sanguinis consistit. Hinc talia subiecta, redduntur cachectica, & de polypo suspicionem movent. Studiosum quendam, violenta morte extinctum, iussu magistratus nuperrime dissecuit Dn. Præses, cuius facies alias constanter erat pallida, aderat dispositio ad melancholiam, cum anxietatibus, & crebrioribus palpitationibus coniuncta. In huius sinistro latere tota pulmonum substantia cum pleura cohærebat. Hæc cohæsiō sine dubio erat causa illius cachexiæ, & dispositionis melancholicæ. Porro huc referri possunt alii morbi thoracis, quales sunt scirrhi, & obstructiones glandularum thymi & mediastini, hydrops pectoris & pericardii, sive hydrocardia, quæ omnia libertatibus motuum cordis resistunt. Non vero tantum morbi thoracis polyporum causas constituunt, sed & morbi abdominis largissimam huius funesti accidentis occasionem præbere possunt. Quales sunt obstructio & scirrhi hepatis, lienis, icterus, malum hypochondriacum, scorbutus, obstructio & induratio mesenterii, uteri, ovarii, renum, &c. Omnia viscera sanguificant, & in omnibus visceribus sanguis depuratur & perficitur. Si vero hoc, vel illud viscus est obstructum, inæqualis per aream corporis sanguinis fit distributio. Sanguis vero magis centrum versus repellitur, quod est cor, vel in capite iusto longius detinetur. Ergo fieri possunt in sinibus cerebri, & cordis capsulis, sive ventriculis,

poly-

polyposæ concretiones, & hoc quidem maiori cum promptitudine, quoniam sanguis fluiditatem & temperiem suam deposuit, & contra intemperiem, corruptionem, impuritatem, viscositatem & grumescentiam acquisivit. Huius theoriæ veritatem confirmant symptomata, simul connexa, pallor faciei, anxietas, palpitatio cordis, dolor capitis, quæ omnia in hisce morbis constanter coniuncta sunt. Nil dicam de hydrope abdominis, silentio quoque prætereo tumores abdominis extraordinarios gravidarum, & infantum, atrophiam, & vermibus laborantium. Nam & hæc motum sanguinis, & respirationem impediunt, palpitationes efficiunt, quibus præsentibus polypi generantur. Ceterum palpitatio cordis, a quacunque causa producta, præstare potest polypos. Etenim si palpitatio fit, contingit fortis constrictio cordis, in qua, si iusto diutius illa continuatur, fibræ & muscoli cordis necessario prolongantur, cor vero ipsum mutare debet suam figuram, extenditur & ampliatur, in ampliatis autem ventriculis facilius est polyporum generatio. Hoc applicari debet ad aurículas, & sinus cerebri, quæ organa si dilatantur, polyporum officinam præparant.

* Polyporum originem a peripnevmonia confirmant Medici Berolinenses, in Act. Vol. IV. & BONETVS, in Sepulchreto anatomico, Lib. IV. Sect. XII.

§. XVII.

Accusantur fere ab omnibus autoribus morbi maligni, tanquam causæ polyporum, quia fermentum secum vehunt peregrinum, virtute coagulandi præditum, quod sanguini admixtum, polypos, & grumescentiam sanguinis accolorat. Hoc vero non tantum a nobis, sed ab omnibus aliis fere acidum salutatur, sanguinis fluiditatis infensissimus hostis. Lues venereæ fermentum corrosivum esse, acidum atque viscosum, nemo saniorum Medicorum amplius in dubium vocat. In peste, & morbis pestilentialibus, quoque tale quid existere, extra omnem controversiam est. Pestis, & lues ve-

D 2

ne-

nerea, paria habent producta, & paria symptomata, modo hoc cum discrimine, ut venenum pestiferum citius imo citissime agat, venereum autem cum maiori viscositate sit coniunctum, hinc maiori tarditate incedat. In peste sunt bubones; in lue venerea quoque. Bubones sunt glandularum obstructions, a coagulo humorum, in primis sanguinis, dependentes. In peste sunt carbunculi, partes destruentes, encantes & depascentes: Ulcera venerea similem possident naturam. In morbis pestilentialibus sunt maculae & pustulae: Similes observantur in lue venerea affectis. In peste, & feбри Hungarica petechiali, contingit profluvium capillorum: Contingit simile in lue venerea. Nil dicam de inflammationibus, & exulcerationibus colli, in utroque malo annotatis. Quis itaque dubitat de existentia acidi in morbis malignis? Acidum hoc malignum coagulat chylum, & praestat polypos chylosos, tendinosos ac membranaceos; coagulat quoque sanguinem, & producit polypos carnosae substantiae, fuscique coloris; coagulat lympham, & efficit polypos mucilaginosos & gelatinosos. Possem hic citare auctoritatem multorum celeberrimorum Medicorum, qui nobiscum similem fovent sententiam. Audiamus vero modo KERCKRINGIUM, * qui de polyporum existentia in vita dubitat dubitat, vero acidum & pro causa polypi primaria admittit. Simile quid fecit BOYLEVS **. Verba KERCKRINGII sunt sequentia: „Ignoscent mihi, inquit, spero, TULPIVS, BARTHO-
 „LINVS, consecrata iam propter medicam scientiam immorta-
 „litati nomina, quod eos non venerer, ut numina, audeam-
 „que, clarissima doctus experientia, eorum opinionibus, opi-
 „nionem contraria, adversari. Polypum cordis, aortae, & qua-
 „rum non partium, illi nobis proferunt, & porro vidisse asse-
 „runt. Viderunt ii viri, quod vidisse se dicunt, nec in eos
 „cadit vanitas, vel mendacii ulla suspicio, sed polypum id
 „cordis, aut aliarum partium esse, quo vivi afflictis fuerint,
 „in eo quam erraverint, non tantum dicere possum, sed et-
 „iam ostendere. Servo enim eiusmodi, quos ipsi vocant,
 po-

polypos, ex variis partibus collectos. Nihil enim aliud sunt, quam sanguis, qui post animalium mortem refrigeratus, & grumofus, durusque redditus, ex corde, hepate & cæteris, partibus extrahitur, in varios ramos divisus, prout ibi in cavitatibus variis hæsit, qui polypo narium ita similis est, ut, prima fronte prorsus idem appareat. Sed cum ego similem, polypum in animalibus formare possim, quoties libuerit: Non ægre ferent isti viri, quos antea laudavi, me hic admonere cæteros, ne propter autoritatem eorum labantur in errorem, putentque, id morbi genus adfuisse in vivis, cuius, in mortuis orta est aliqua similitudo ex concreto in variis, cavernulis sanguine. Is autem concrefcit per admixtionem, *peccantis cuiusdam acidi humoris*, quod experientia tuis ipsa, exhibebit oculis, si cani vivo venam secueris, eique spiritum vitrioli infuderis. Coagulabitur enim continuo sanguis, & qualem in putantibus illis polypis animadvertimus, concipiet duritiem.

* In Spicilegio Anatomico, pag. 145.

** In Tentamine de Natura sanguinis.

§. XVIII.

Denique huc referri debent venena mineralium, vegetabilium & animalium. De venenis mineralium fortassis nullum erit dubium. Sunt enim omnia acida, vi sanguinem coagulandi prædita, ut sunt spiritus acidi, mercurius sublimatus, arsenicum, & reliqua. Toto die quoque in cadaveribus, eiusmodi venenis interfectis, ubique in omnibus partibus congrumatus sanguis reperitur. Vid. Dn. Præsidis *Medicinam Legalem* *. De venenis vegetabilium etiam non dubium est, quod in illis insit, sive per se, sive per accidens, vis sanguinem coagulandi. Sunt in vegetabilibus etiam venena corrosiva, v. gr. ranunculus urens, & ipsa purgantia fortiora a principio corrosivo immunia haud esse, probant inflammationes, quas in intestinis interdum relinquunt, imo convulsiones, quæ cum hypercatharsi conjunctæ sunt, illa

vero vegetabilium venena, quæ stupefactiva atque narcotica vocantur, & ita homines interficiunt, vim ad minimum coagulandi sanguinem per accidens exercent. Etenim dum agunt in nervos, & eorum fluidorum motum impediunt, quoque sufflaminant atque retardant motus cordis, quoposito fieri debent in cordis thalamis coagulationes, & polyposæ concretiones. Virulentia animalium, in primis viperarum, & canis rabidi, hisce omnibus palmam præripit. MANGETVS ** testatur, sanguinem animalium, a viperis demorsorum, solidius coagulari in polypos, quam ab infuso quocunque demum spiritu acido. Ergo venenum viperarum, canis rabidi, tarantulæ, scorpionum, vesparum, esse debet de natura acidi. FRANCISCVS REDI, Illustris & indefessus rerum naturalium rûspator ***, de veneno viperarum stupenda, & notatu dignissima refert. Etenim non tantum omnia animalia a morsu viperarum viventium extinguuntur, sed quoque illa, quæ capitibus & dentibus viperæ demortuæ vulnerantur. V. g. vulneravit abscissis capitibus, postquam illa vivere desierunt, turtures in femore, & ne unicus quidem evadebat. Rarissimum inter omnia hoc experimentum est censendum, quod REDIVS suscepit. Nempe recepit humorem flavum salivalem, ex vaginulis dentium prorumpentem, eumque exsiccavit. Pulvis hic siccatus, vulneribus viventium animalium adpersus, illis pariter mortem atque interitum procreavit. Inest quidem sal volatile alcalicum in omnibus animalibus. Nihilominus acidum principium in saliva in prædominio esse, multis experimentis, & rationibus probavit *Aurea Catena Homeri*. Hoc acidum fortassis in viperarum in primis irritatarum, saliva abundantissime reperitur; a quo derivandus est interitus animalium, quorum vulnera pulvere hoc exsiccato adsparguntur; Etenim si esset sal volatile alcalicæ naturæ, illud exspirare potuisset atque exhalare. Ergo in hoc pulvere delituit sal paulo fixius, acidæ naturæ. Si quis a cane rabido vulneratur, incidit in hydrophobiam. Subie-

Et

Et talia neque solida, neque liquida deglutiunt, manifesto indicio, quod per fermentum illud acidum, corpori humano communicatum, acida magis reddita fit saliva, quæ morficando illis in deglutatione molestiam creat. Et hæc saliva acida atque exasperata causa est anginae, qua intereunt homines, rabie canina afflicti. Id quod ipse Dn. Præses observavit in Ianione pagi Dorndorff, non procul ab hac urbe sita.

* Cap. XX. p. 176.

** In *Theatro anatomico*, Lib. III. Cap. VII. pag. 239.

*** In *Observationibus de Viperis*, dicatis Illustrissimo Magalotti; item in altera Epistola, de hac materia scripta ad Abbatem Bourtelott, & Alexandrum Morum.

§. XIX.

Quid de diagnosi sit sentiendum, nunc erit dicendum. WILLISIVS * de polypo id statuit, quod alii Medici de cancro occulto docent. Nempe polypus, & cancer in fieri difficulter cognoscitur, factus, raro curatur. Interim tamen non deficiunt signa propria & pathognomonica, ex quibus præsentia & formatio polypi sit concludenda. Primum horum signorum est *anxietas præcordiorum*, coniuncta cum aliquo gravitatis sensu, & quasi ponderis, cordi incumbentis. Cor in statu naturali ita comparatum est, ut possit sanguinis pondus sine molestia perferre. Polypus vero corpus est, præter naturam in corde natum, gravans cor. Posita hac gravitate concludere possumus, adesse polypum, pondus cordis augmentem. Non vero ille sensus tantum est in corde, sed etiam in præcordiis, sive partibus thoracis, quæ a cordis tumore, & polypi pondere, premuntur, & a gravitate polypi tenduntur. Præcordiorum angustia, & cordis notabilis anxietas, etiam increfcit, quoniam a præsentia polypi fluxus sanguinis per vasa coronaria, & poros Thebesianos, sufflaminatur. Ceterum hæc anxietas atque gravitas constanter ac perpetuo durat, raro decrefcit, & potius in dies magis

magis magisque increfcit. Secundum fignum eft *palpitatio cordis*, quoque conftans, & perpetuo durans, ob caufam perpetuo præfentem. In aliis palpitationibus, a caufa tranfitoria ortis, motus ille non continuus eft. Eiusmodi palpitationem cordis conftantem fentiebat optimus Imperator MAXIMILIANVS II^{us}, piæ memoriæ, in cuius corde tres calculi, polypis involuti, funt reperti. Gradus palpitationis in polypo etiam differunt, prout numerus polyporum, & eorum quantitas differt. In polypii modo eft exigua palpitatione ab ægrotante percipienda. Quando vero increfcit polypus, palpitatione augetur, ad vehementiorem gradum, ita, ut non tantum excitetur fensus, quafi doloris, quia in fingulis cordis ictibus fit allifio cordis ad costas in finiftro latere thoracis. Hofce pulsus vehementes percipiunt illi, qui manus fub mammilla applicant. In tertio palpitationis cordis gradu tanta eft vehementia, ut ipfa ftiracula & veftimenta evidenter commoveantur. Quarto in gradu, fecundum Medicorum nonnullorum relationes, pulsus cordis extra conclave a prætereuntibus auditu percipitur. Eiusmodi vehementem palpitationem quidem concedimus, illam vero, qua costæ luxentur, & confringantur, merito in dubium vocamus. Cor quidem, a polypis obfessum, in diaftole maiori cum vehementia fe fe dilatate, & in fyftole maiori motu fe constringere debet, alias neque recipere, neque expellere poffet fanguinem: Interim tamen mufculus eft, vel fubftantia mufculofa mollis, cuius allifio ad costas ftupendum eiusmodi effectum momentaneum, nempe luxationem, & fracturam costarum, efficere nequaquam poffit. Tertium fignum eft *refpirandi difficultas, five asthma*. ** Etenim præfentia polypi, five illa fit in dextro, five in finiftro ventriculo, æquabilem fanguinis exitum a corde ad pulmones, vel reditum a pulmonibus ad cor, non concedit, & dum vafa pulmonalia in hoc malo ultra modum funt repleta, impediuntur bronchiorum dilata-

tatio.

tationes, & aer, cum suspiriis & asthma, ducitur ad pulmones. Hinc mirum non est, si *sputum cruentum* & *hæmoptysis* succedat. Repletis nimirum ductibus sanguiferis pulmonalibus, tandem tanta fit horum vasorum, & tunicarum earum expansio, quæ sine ruptura diu persistere nequit. Quartum signum est *dolor capitis*. Caput, & in eo contentum cerebrum, fons & origo omnium nervorum est, omnisque sensationis. Præsentibus vero polypis cordis, sanguis in reditu suo ad venam cavam notabiliter impeditur; hinc iusto diutius in capite moratur: Unde dolorifice premuntur vasa duræ, & piæ matris, & substantiæ cerebri, tum cineracæ, tum medullaris. Ex impedito reditu sanguinis per venam cavam fluunt etiam *varices*, *tumores oedematosi* artuum, & in specie pedum, cum aliquo interdum livore, quia neque sanguis, neque lymphæ libere refluere valet. Dom. ALBINVS, l. c. in quodam opifice, polypo laborante, sequentia extraordinaria observavit. Hocce subiectum per annum dimidium decumbens, sentiebat constantem dispnoeam, anxietatem & palpitationem, quæ molestiæ eum in sceleton quasi commutabant. Ante obitum intumescebat collum, & brachium dextrum, qui tumor singulis momentis increfcens, venas, & earum nodos, sive valvulas, in varices dilatabat. Huius tumoris nulla erat inflammatio, dolebat tamen. Aegrotus suffocatus, & post mortem apertus, continebat in dextra auricula polypum, cuius rami truncum venæ cavæ ascendentem præcludebant & obthurabant. Simile quid vidimus, mense Martio huius anni, in Studiofo quodam 21. annorum, temperamenti alias sanguineo - cholericæ, & hilaris animi. Ille, præter omnem opinionem, incidebat in febrim lentam, cum tusse sicca, appetitu imminuto, alvi obstructione, cordisque palpitatione, coniunctam. Cessabant quidem hæc in tantum per remediorum pectoralium bezoardicorum, & temperantium usum. Veruntamen tusse sicca, cum pectoris molestia constanter perdurabat. Apparebat tumor

E

pedum

pedum oedematosus, in principio transitorius, deinceps perdurans, & a malleolis sensim superiora versus adscendens. Respiratio in dies difficilior reddebatur, cum intolerabili anxietate, pectoris elevatione, faucium exsiccatione, fitique constanti. Nihilominus urinæ excretio erat parca, & urina constanter ruffa. Facies contra reddebatur pallida, & livida. Cordis palpitatio, præcordiorum angustia, virium imminutio, pulsusque inæqualis, in dies maiora capiebant incrementa. Tandem cum lipothymiis & suffocatione diem obiit supremum. In aperto cadavere conspiciebamus ventriculum flaccidum, intestina a flatibus expansa, hepar tumidum, obstructum, & hydatidibus conspurcatum. Pulmones lividi, & sanguine fusco repleti, cum sterno, & costis cohærebant. In dextro cordis ventriculo tumido hærebat polypus, ex basi & binis cruribus compositus. Basis cum columna carnea coniungebatur, crus maximum tendebat auriculam dextram versus, eamque replebat, & quod notabile est, hæc polypi pars polypum ipsum, in ventriculo hærentem, magnitudine sua fere superabat, ramosque suos mittebat in venam cavam descendentem, ex qua ad ulnæ magnitudinem extrahatur. Alterum crus, ramos arteriæ pulmonalis occupans, truncum huius arteriæ fere in totum obthurabat. Extractum totum polypum exsiccavimus, portionem vero microscopio examinavimus, & deprehendimus contextum fibrosum, & reticulatum, ex albis, & quasi nerveis fibris, compaginatum. In finibus, spatiis & cellulis vero stagnabat purpura sanguinis. Hæc observatio docet, quod a præsentia polypi integra turbetur animalis œconomia, lædatur digestio, nutritio, secretio, respiratio, quæ omnia a turbata sanguinis circulatione proveniunt. Hinc non erravit PITCARNIVS ***, quando inquit: „Vita consistit in circulatione sanguinis; sanitas in „perfecto, morbus in imperfecto sanguinis circuitu; & mors „in circulatione sanguinis extincta.

* In Pharmacia rationali, Sect. VI. Part. I. cap. III.

** D. D.

** D. D. GRAVINVS, Medicus castrensis, quingentos & ultra milites, asthma suffocato, incidit, atque semper vel hydropem pectoris, vel polypum, cordis ventriculos, & vasa obsidentem, adinvenit. Vide III. HOFFMANNI, Hall. Diss. de Asthmate convulsivo.

*** In Elementis Medicinæ.

§. XX.

Proinde quando polypus increfcit, & maiora capit incrementa, etiam hæc circulatio, vitæ præfidium, notabiliter imminuitur, cor tremit, pulsus intermittitur, & tandem asphyxia, lipothymia & syncope moriuntur ægroti, quæ omnia sunt funesta illa polypi signa. Tremor cordis, in fine contingens, est accelerata & debilis ad minimum non satis vehemens cordis contractio, in qua modo dimidia vis cordis exercetur, ideo neque sanguis perfecte inferri ad cor, neque ex eius sinibus debito modo efferri potest. Sicuti vero in vita se habet cordis motus, ita se quoque habet pulsus arteriarum, qui in statu hoc, necessario fit intermittens, capricans & undulatorius, dum arteria non perfecte movetur, & micare desinit. Hic pulsus Medicos terret, pessima indicat, & ægrum moriturum esse prædicit. Nam adest quid, quod vel vim vitalem suffocat, vel quid, quod sanguini, per arterias fluenti, obicem ponit. Interim tamen Medicus in prognosi cautus esse debet. Nam dantur subiecta carnosiora, & obefiora, in quibus, ob profundiorum arteriarum situm, arteria ictum cum manu tangenti non communicat. Ceterum talis pulsus intermittens, pessimum omnium morborum signum, non tantum in polypis, sed & in febribus malignis, petechialibus, in primis, si maculæ retrocedunt, vel rubedinem suam cum livore commutant, item in pleuriticis, observatur, teste BONETTO. * Asphyxia pulsus est, in toto corpore sensibiliter deficiens, ideoque syncopen & gravem lipothymiam post se relinquens, in qua vita cum morte commutatur. Nam circulatio sanguinis ita in totum

sistitur. Quæstio est inter Medicos, an polypus efficiat syncopen, an vero apoplexiam? Protulit hanc quæstionem Illustris RAMMAZZINI, Academia Patavina primarius professor, ** & ad eam ita respondit. „Quando, inquit, intercepto „itaque, ob polypos cordis, sanguinis in orbem ita ac reditu, & „mutuo inter cor & cerebrum interrupto commercio, non fugerente corde sanguinem cerebro, per arterias, pro spirituum „animalium generatione, nec cerebro cordi spiritus animales, ad perennandum illius motum, necesse est, ut subitus subsequatur interitus. Casus autem huiusmodi an a syncope „cardiaca ***, an a catarrho suffocativo, an etiam ab apoplexia fieri dicamus, parum refert. Veruntamen si scapham scapham appellare volumus, omnes ii, qui polypo laborant, moriuntur syncope, qui primarius cordis affectus est, in quo summa virium deprehenditur imminutio, sensuum & motuum extinctio, pulsus deficiens & debilis, dependens a principio quodam, quod cordis motum extinguit, & quod in corde existit. Ergo cor & subiectum morbi, & subiectum causæ morbificæ est.

* In Thesuro medico practico, Tom. II. Lib. III. de Morbis cordis, Cap. XXIV.

** In Operibus suis, pag. 171.

*** De syncope cardiaca antiquus, & eruditissimus PETRVS SALIVS, cap. IV. Lib. I. de Affectibus particularibus, seorsim scripsit, aitque illam fieri ex sanguine coalescente in venis atque arteriis, & casum refert puellæ, subita morte morte extinctæ, in cuius cadavere dissecto ex arteria magna sanguis concretus eductus est, non aliter, quam gladius e vagina extrahi solet. Ergo & hic autor antiquus polypum observavit.

§. XXI.

Prognosis in morbis omnibus prædicit eventum, tempus eventus, & modum eventus. Si quæstio est, an illi, qui polypo

polypo

laborant, intereant? respondendum affirmative. Etenim si non omnes, tamen plerique a polypis, vel subito, vel successive, interficiuntur. Axioma sequens medicum est aeternæ veritatis, quod quoque legitur in Illustris, & per omnem Europam celeberrimi Medici, HOFFMANNI, Hallensis, *Medicina rationali systematica* *: Quodcunque cordis motum subito, atque in totum extinguere valet, id quoque præsentaneam mortem inferre potest. Atqui polypus hoc præstat, dum orificia vasorum cordis claudit, & auricularum, atque ventriculorum cordis cavitates replet. Ergo consequenter motum systolicum & diastolicum sistit, & ita mortem infert. Eventus ideo polyporum plerumque est funestus. In magnis polypis nulla spes esse potest salutis, vel exoptati eventus. In exiguo polypo, vel in polypis, aut incipiente polypo, spei alicui locus relinquitur. Nam resolutio sanguinis interdum ad votum succedit. Modum eventus quod attinet, ex antea dictis clarum est, quod ii, qui polypo laborant, cum syncope & asphyxia, pallore faciei, sensuum, caloris nativi, & respirationis extinctione, vitæ finem faciant. Si enim circulatio cessat, extrema necessario frigent. Nam calor vitalis dependet a circulatione spirituum, & sanguinis legitima, & particularum in primis sulphurearum sanguinis, debita agitatione, ac convenienti commotione. Tempus funesti eventus prædici non potest, cum certum sit, quod grumescentiæ sanguinis, sive pseudo-polyporum, generatio fieri possit in instanti. Ergo etiam mors ipsa momentanea esse debet. Quale quid fieri potest in venenis, sive extus, sive intus applicatis, subtilioribus tamen; item in vehementi terrore, ac frigore, in morbis malignis pestilentialibus, pleuritide, peripnevmonia, catarrho suffocativo. In hisce morbis omnibus subito generantur polypi, & iis affecti subito quoque moriuntur. Veri polypi autem, qui vel ex chylo coagulato, vel ex pinguedine quadam, vel ex tunicis atque lamellis constant, & quasi corpus nervosum re-

præsentant (neutiquam vero, ut nonnulli volunt, ex succo nervoso nati sunt) interitum hominum successive promovent, quia horum generatio momentanea esse nequit. Præcedunt ideo alia signa, ut intolerabiles, constantes, diuque perdurantes palpitationes, anxietates, respirationes difficiles, aliaque supra indicata signa.

* Tom. I. Cap. II. pag. 70.

§. XXII.

Curam polyporum in veris & solidioribus polypis difficillimam esse, patebit exinde, quoniam corpus semel concretum, & in fibras, atque tunicas commutatum, raro dissolvi, & per media dividi valet. In polypis autem mollioribus, imperfectis, polypiosi, sive polypis, in fieri constitutis, ægri restitutionem felicem expectare & sperare possunt. Quo vero methodus medendi vite formetur, adhibenda sunt remedia, ex pharmaceuticis, chirurgicis atque diætetis desumenda, quæ 1.) causas coagulationis & grumescentiæ sanguinis tollunt. 2.) Ipsum chylum, & sanguinem a visceribus purificant. 3.) Sanguinem congruatum, & iam coagulatum, resolvunt. 4.) Motus sanguinis deficientes restitunt. Ac denique 5.) Quæ vires cordis augment, & roborant. Videbimus singula seorsim. Remedia pharmaceutica alias dividuntur in evacuantia, alterantia atque specifica. Inter evacuantia primas obtinent vomitoria, quæ in præsumptione polypi locum non inveniunt, quia thorax in vomitu simul extra ordinem concutitur atque commovetur, a qua violenta commotione in polypis non tantum respiratio, iam valde molesta, difficilior magis redditur, sed & simul lethalis hæmoptysis in eiusmodi actione excitatur. Simile quid dicendum de sternutatoriis. Ideo nec mitissima vomitoria a Medico sunt suadenda. Contra vero tutius propinantur purgantia, quæ primas vias ab impuritatibus & cruditatibus liberant. Hæc locum inveniunt in polypis a cachexia, scorbuto, malo hypochondriaco, melancholia, lue venerea, ictero,

ro,

ro, aliisque viscerum obstructionibus. Eiusmodi purgantia commode præparantur ex extractis amaris vegetabilium, colocynthide, helleboro nigro, quæ potentissima sunt resolventia & attenuantia, quo pertinent & illa extracta, ex quibus pilulæ Beccheri componuntur, & quæ valde alcalicæ sunt, ita, ut aeri liberiore exposita liquecant, qualia sunt scord. fumar. C. B. trifolii fibrini, cochleariæ, cum diagridio, resina scammonii, & ialappæ, gummi guttæ, &c. Diaphoretica, & diuretica dum colliquationem humorum, & exoptatam sanguinis resolutionem instituunt, in polypis egregium habent usum. Polyporum origo est coagulatio sanguinis, causa coagulationis primaria acidum est. Diaphoreticorum, & diureticorum fere integer apparatus ex alcalicis & alcalinis componitur. Huc pertinent omnia salia volatilia urinosa, fixa & volatilia liquida & sicca, ut spiritus sanguinis C. C. C. viperarum, lumbricorum, liquor C. C. succinatus, salia volatilia oleosa & aromatica, salia herbarum, eorumque olea per deliquium, pulveres bezoardici & sudoriferi ex calcibus, ut antimonio diaphoretico, simplici solari, lunari, ioviali, martiali, ossibus animalium, perfecte, & imperfecte, sive philosophice, calcinatis, lapidibus animalium, terrisque sigillatis, mitis. Hæc in usum vocantur in polypis a febribus malignis pestilentialibus, a frigore, vel a terrore, vel a pleuritide, & peripneumonia-natis, principaliter in extus illatis venenis, in moribus atque puncturis animalium venenatorum, &c. Dari ideo possunt pulveres bezoardici, cum aquis destillatis, cum vino, in specie liliorum convallium c. v. quæ communissime post terrorem data, sua subtilitate nervos roborat, sanguinemque resolvit, hincque dicitur *Schreck-Wasser*. An salivantia remedia locum inveniant, quaestio est? Ad eam ita respondemus. Quamvis in præsumptione polypi plenaria salivatio non sit adhibenda, ob molestias, quas secum ducit, tamen incompleta salivatio, sive usus mercurialium, remediorum, minime interdicendus est, in pri-

primis, quoniam, secundum testimonia omnium scriptorum, & præcipue M. A. SEVERINI, illi, qui morbis venereis semel sunt tentati, semper proclives manserunt ad polyposas concretiones, raroque dissecta sunt cadavera, morbo venereo olim conspurcata, in quorum corpore polypi non sint reperi, manifestissimo indicio, quod rarissime penitus a virulentia venerea, sanguinem coagulante, liberentur semel hoc morbo afflicti. Eiusmodi remedia sunt in primis mercurialia, optima lymphæ & sanguinis fusoria, item & metallica, v. gr. mercurius dulcis simplex, solaris atque lunaris, cinnabaris metallica, antimonii, hungarica nativa, in specie illa, quæ in pyrite solari delitescit, (*der mit göldischen Marcasiten eingesprenget und vermischet ist,*) specificum cephalicum b. Michaelis, Dn. Præsidis, & aliorum, quod cinnabarim pro basi agnoscit, pulvis solaris Cellensis, (*das Zellische Gold-Pulver,*) qui ex cinnabari, auro fulminanti, & elæosaccharo cinnamomi componitur. Cinnabaris primum agens dependet a mercurio, mercurius autem principale specificum luis venereæ est, nec absque mercurialium usu unquam perennis & exoptata morborum venereorum cura expectanda, quo cum consentit Illustris noster Consiliarius Aulicus, WEDELIYS, in nuper habita Dissertatione de *Luo venerea*. Interim tamen nec alia remedia, ex regno minerali desumpta, atque ex metallis perfectis, & imperfectis parata, reiicienda sunt. V. gr. profunt omnia antimoniata; in primis Tincturæ antimonii alcalicæ, in quibus sulphur quoddam auratum atque subtilis regulus delitescit; item Tincturæ solares, in specie Cl. Dn. Doct. HELCHERI, Uratislaviensis. Notabile est, quod in omni sanguine congrumato non tantum ab antiquis, sed & recentissimis, & celeberrimis Medicis, tanquam specificum, commendetur lapis carneolus *. Notum quoque est, quod species de gemmis, & fragmenta lapidum pretiosorum, species de hyacintho passim commendentur, ut cordialia. Sunt quidem contra multi, qui omnium lapidum pretiosorum, & ipsius crysalli montanæ

tanæ

tanæ usum reiiciunt atque derident, dicentes, quod sint corpora fixissima, in menstruis liquidis corporis nostri irresolubilia, item, talia remedia non penetrare posse, per ostiola vasorum, ad massam sanguineam. Veruntamen hæc argumenta non sufficiunt. Notum enim est, quod ipsius filicis pulvis sit solubilis in aceto. Hoc indubitatum experimentum probat, quod & solutio, & penetratio horum remediorum ad massam sanguineam sit possibilis. Et quoniam corpora sunt regni mineralis, specifica eminenti gravitate, & densitate, præ multis aliis, dotata; ideo ab horum remediorum usu citior resolutio sanguinis congrumati expectanda, quam ab aliis levioribus, & porosioribus, uti sunt terræ sigillatæ, ossa calcinata, & his similia. In polypis a mensibus & lochiis obstructis danda sunt emmenagoga, in quo casu optima sunt Tincturæ martiales aperitivæ, cum Arcano tartari vero, Tincturæ antimonii alcalicæ, antimonium martiale cachecticum, antihecticum Poterii, pulvis absorbens b. WEDELII, antispasmodicus STAHLII; decocta marrubii albi, radicis scrophulariæ, decocta amara, item purgantia, si horum usum reliquæ circumstantiæ permittant.

* Vid. illustrem BOYLE, in Tractatu de specificis remediis.

§. XXIII.

Inter alterantia primum locum obtinent calefacientia. Hæc in temperamentis melancholicis, utpote frigidis, & siccis, locum inveniunt, in specie, si cum selectis humectantibus coniungantur. Apud HIPPOCRATEM, *Lib. VI. Aphorif. LI.* notabilis occurrit locus de apoplecticis, ubi inquit, quod apoplexia correpti intra septimum diem intereant, nisi febris intervenerit. Apoplexia originem ducit interdum a stagnatione sanguinis, & polyposis sanguinis concretionibus.

F

bus.

bus. Febris superveniens sanguinis motum auget, ipsumque sanguinem coagulatum resolvit in hac commotione vehementi, cum calore præternaturali coniuncta. Si itaque coagula sanguinis apoplecticorum per febrim resolvuntur, non video, quare non sint adhibenda calefacientia in polypis melancholicorum, item in polypis, a frigore natis, tanquam optima solventia. Horum enim corpora actu calidis sunt fovenda, & potentia calidis tractanda, h. e. applicandæ frictiones, adhibitis linteaminibus calidis, spiritibus vinosis, v. gr. linimento nervino b. WEDELII, aqua apoplectica anhaltina, spiritu matricali, anthos, &c. factæ. Interne calefacientia hic esse possunt illa, quæ aromatico volatili æthereo principio pol-
lent, qualia sunt Essentiæ alexipharmacæ, Tincturæ bezoar-
dicæ, Essentiæ aromaticæ, Q. E. aromaticæ, balsama vitæ illustris HOFFMANNI, & Dn. PRAESIDIS, salia volatilia oleo-
sa, pulveres bezoardici, dati cum confectioe alkermes, aquis destillatis cum vino, speciebus lætificantibus aroma-
ticis cum rob sambuci, ebuli, electuario camphorato, & dia-
scordio Fracastorii. Hæc omnia calefaciunt, sanguinemque spissum resolvunt. Quo vero hoc maiori promptitudine fiat, iungenda sunt hisce humectantia, in specie aquea, v. gr. potus Theé, herbæ acmellæ, radicis pareieræ bravæ, decoctum
3. radicum aperientium, maiorum & minorum, & in palpi-
tationibus chronicis, cum præsumptione polypi, locum inve-
niunt thermæ, atque acidulæ, omnesque aquæ medicatæ, in quibus quamvis non adsit sapor manifestus, tamen con-
tinetur spiritus sulphureus, elasticus, resolvens, & ochra mar-
tialis antacida absorbens, quo pertinent v. gr. aquæ medica-
tæ Bebranæ, hic in Thuringia sitæ. Uno verbo omne id, quod diluit chylum, & sanguinem spissum atque oleosum, imo salia coagulantia, ipsumque tartarum, vel terram, per urinam educit, tutissime in præsumptione polypi adhiberi potest. Talia sunt, uti diximus, aquea, non fermentata, nec
gluti-

glutinosa, nec gelatinosa & mucilaginoso, utpote incrassantia, quæ omni modo evitanda.

§. XXIV.

Specifica remedia dividuntur alias in specifica partium, & specifica morborum. Ante iam dictum fuit, quod polypus oriatur in affectibus pectoris, v. gr. in scirrhis, atque obstructionibus glandularum pectoris. Positis hisce causis, optima sunt iam laudata decocta aperientia, quibus addi possunt pectoralia, ut radix tusfilaginis, eiusque herba, bellidis, botryos, scabiosæ, pulmonariæ, flores 4. cordiales, lignum sassafras, filiqua dulcis, glycyrrhiza, semen anisi simplicis, atque stellati. In pleuritide & peripnevmonia, præter decocta, iam laudatâ, locum invenit decoctum hordei, cum cornu cervi, & scorzonera, non saturatum, sed dilutum magis, item pulveres pleuritici, ex lapidibus cancerum, mandibulis lucii piscis, dente apri, philosophice præparato, antimonio diaphoretico. Huc pertinet & spermaceti, elixiria pectoralia, cum Tinctura bezoardica WEDELII, Essentia croci, ac pro re nata spiritus salis ammoniaci anisatus. Cordialia nobis illa sunt, quæ alias vocantur analeptica, quæque sanguinis fluiditatem conservant, & impedimenta circuli sanguinis removent. Non vero intelligimus hic remedia, quæ modo in cor, non vero in alias partes agunt. Illa enim in rerum natura non existunt. Olim, ex sententia Chemicorum, cordialia erant remedia ex perlis, coralliis, lapidibus pretiosis, atque auro parata: Sed hæc omnia sunt resolventia, antacida, quæ coagula sanguinis tollunt, & illius fluiditatem conservant. Solaria, & ex auro, intime resoluta, parata remedia vel in se continent sulphur solare, salibus resolutum atque attenuatum, quod massam sanguineam fundit, atque purificat, simulque elasticum est, &

sanguinis elasticitatem auget, atque vim balsamicam, sicuti hoc probat aurum fulminans; vel continent terram mercurialem gravem, sanguinemque fundentem. Quoniam vero ita parata remedia solaria coagula sanguinis resolvere possunt, nomen cordialium sibi arrogare valent. Ex vitio hypochondriorum, malo hypochondriaco, scorbuto, cachexia, ictero, obstructionibus hepatis, atque lienis, oriuntur polypi, dum massa sanguinea vitiatur, lenta, crassa atque vapescens redditur. Scorbutus, malum hypochondriacum, & cachexia maximam inter se habent convenientiam, totum corporis habitum vitiosum reddunt, humores vitales inviscant, obstructions præstant, & sanguinem acrimonia quadam corrumpunt. Hoc probant ineffabiles obstructions, in omnibus visceribus contingentes. Mirum itaque non est, si a sanguine viscoso & grumescente, vel in visceribus, vel in vasorum ductibus, vel in cordis cavitatibus, polyposæ generentur concretiones. Ergo in tali statu massa sanguinea intime depuranda per purgantia, diluentia, temperantia, aperientia, passim iam indicata, quo pertinent martialia, antimoniata, Arcanum tartari, sal volatile tartari, Essentia vera cochleariæ, ex volatili spiritu, & fixo extracto parata, Essentia myrrhæ, & succini alcalica, quæ sanguinem purificant, resolvunt, & statum balsamicum redintegrant atque restituunt.

§. XXV.

Remedia chirurgica, quæ in præsumptione polypi locum inveniunt, sunt primo venæ sectio, instituenda in plethoricis, ita quidem, ne vires debilitentur. Tutius est, illam sapius suscipere, & in singulis operationibus modo exiguam sanguinis quantitatem educere. Ita reliquus sanguis majori cum libertate per aream corporis movetur, & grumi sanguis-

sanguinis successive resolvuntur. Huc pertinent secundo scarificationes, cucurbitulis instituendæ, teste ZACVTO LVSITANO,* & RIVERIO, l. c. Hi celeberrimi Medici imposuerunt regioni cordis, in palpitatione cordis, cucurbitulas cum scarificatione, & a desperatis cordis palpitationibus feliciter liberarunt laborantes & ægrotantes. Tertio nec fonticuli usu carent. Sunt enim ulcera, arte facta, ideo excitata, ut cum eorum sanie stillante effluat simul impuritas sanguinis. Potest ideo applicari fonticulus, sive in brachio, sive in pede, in subiectis cachecticis, atque scorbuticis, non neglectis vero simul aliis internis, massam sanguineam purificantibus. Quod vero fonticulus sit universale evacuans atque revellens remedium chirurgicum, omnibus notum est. Ex hoc fundamento sine dubio PECHLINVS ** in polypo narium seroso & pituitoso, in virgine quadam serosæ complexionis, confugiebat divino, uti loquitur, consilio ad fonticuli usum, eoque feliciter restituit hanc per polypum defœdatam virginem.

* Lib. I. *Observat.* 133.

** In *Observationibus Physico-Medicis*, Lib. II. N. 3.

§. XXVI.

Denique, qui in polypo feliciter procedere cupit, usum legitimum diætæ, vel sex rerum non naturalium, negligere non debet. Hinc aërem eligere debet purum atque serenum, & evitare frigidum, paludosum, atque nocivis malignis aliis effluviis inquinatum. Alimenta debent esse temperata, fluida & tenuissima. Vitanda vero sunt nimium gelatinosa, polytropa, quæ plethoram augment, oleosa, leguminosa, farinacea, ex lacte, ovis, medullis, & butyro parata, porro sale condita, ac fumo indurata; potulenta valde oleosa & pingua, cerevisia crassa, vina austera, & spi-

ritus vini. Aquea, uti dictum fuit, omnium sunt optima, teste recentissimo scriptore, SMITHIO. * Motus corporis moderatus omni modo commendandus. In illo enim per conquassationem sanguinis, in musculis institutam, polyposa ramenta resolvuntur. Quies vero, & somnus excessivus, contra humores magis incrassant, lentorem atque viscositatem humorum procreant. Pari ratione nocent terror, atque tristitia, dum sanguinem coagulant, ut ex supra dictis clarum est. Contra vero hilaritas & gaudium sanguinem placide commovet atque resolvit. Excretiones naturales alvi, urinæ; sudoris, mensium, & hæmorrhoidum, liberæ sunt servandæ, & venus immodica, qua vires corporis solvantur, angue peius declinanda.

* *Traité de Vertus medicinales de l' Eau commune.* a Paris 1726.

ERRATA.

Pap. 28. lin. 23, deleatur *dubitat* & in eadem linea &.

F I N I S.



Freund

S Freund im Gemüthe,
Held von edlen Eltern und Geblüte,
Gelehrter ohne Schwulst und ohn Pedanterey:
Man fragt was doch die Ursach sey,
Warum bey der gelehrten Welt,
Dich eine Schrift von einer schwülstigen Sache,
(Die mitten in dem Sitz von unserm Leben,
Vermögend ist uns in des Todes Hand zu geben)
Zuerst berühmt und fundbar mache?
Warum es endlich dir gefällt,
Bey Helm und Schild,
Den Doctor-Hut auch anzunehmen?
Within zu solcher Lebens-Art Dich zu bequemen,
Die Rom da es noch eisern war,
Der Freyheit und dem Adel unanständig hielt,
Allein ich weiß wohin Dein edles Absehn zielt.
Die Freyheit kommt bey unsrer Kunst nicht in Gefahr,
Du hast Dir eine Lebens-Art erwöhlet,
In der es nie an Glück, Gesundheit und Vergnügen fehlet.
Ich wünsche daß sie Dir besonders wohl gedeye,
Daß, wie Hygäa iest, Dich Hymen bald erfreue,
Wo sich das Herz mit Lust in Deiner Cur begiebt,
Dein Fleiß wird mit der Ehre selbst vermählet.

Also sagte seinen hochgeehrtesten Herrn
und Freunde zu Ehren

Joh. Sebast. Steube / D. Oppon.

Mann

Wann muß durch schmale Weg sich zu dem Himmel
dringen,
Und hoher Tugend Gold muß uns Bemühen bring-
gen,

Es ist ein schwerer Weg, der uns zur Weißheit leit:
Eh' mann ihn endiget, setzt es gar manchen Streit,
Der Wissenschaften Schmuck, erlangt mann nicht im Lachen,
Es muß gekämpft seyn, soll mann uns Kräfte machen.
Was wunder wenn demnach, Dein sehr beliebter Geist,
Der alle Trägheit nur verächtlich von sich weist.
Sich in Hygäens Gunst mit grossen Ernst bemühet,
Und gleich als einer Pest von faulen Sinnen fliehet.
Wie weit Du es gebracht, das zeigt uns diese Schrift,
Die hohe Wahrheit lehrt, und falschen Wahn verwirfft,
Dein Glücke das nunmehr zu blühen angefangen,
Das müsse Klettenweiß stets an einander hangen/
Es grüne sonder End! das wünscht Geehrter Freund,
Der, der es iederzeit aus treuem Herzen meynt.

H. B. Jüncken/
Moeno Francofurtanus Oppon.

